



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Bibliotheca Rhetorum

In quo Causae Forenses, Liber Epistolarum, Liber Fabularum, Et
Oratiunculae

Le Jay, Gabriel François

Ingolstadij, 1726

Filius Adolescens Patri, ut personam agere in Theatro sibi liceat.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-71049](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-71049)

gias animi tui dotes palàm non prædicet, constanterque defendat, nullum unquam extitisse, in quem iniquis, quàm in te, fortuna peccaverit. Hanc ergo, quam concitasti opinionem tui, vide, ut tueri ac sustinere possis. Debes omnibus exemplum illius constantiæ, quam in utràque fortuna exhibendam toties ipse pronunciasti. Noli tamen abjicere spem omnem fortunæ melioris. Ut est illa cæca, ita & naturâ suâ levis; quo fit, ut, quàm temerè descivit à quibusdam, tam facile ad eosdem revolet.

FILIUS ADOLESCENS
P A T R I,

Ut agere Personam in Theatro sibi liceat.

Petitoria.

Q Uod commendasti mihi sæpius, ut singularem in dicendo leporem ac gratiam concesser assequi, id ego, Pater amantissime, non cesso frequenti usurpare memoriâ, &, quæcumque se offerunt id perficiendi, quod cupis, occasiones diligenter aucupari. Verùm inter cætera, quæ juvare adolescentem possunt, & in perfectâ dicendi facultate fructus uberes meditantem promovere; nihil vidi hæctenus, quod plus animi simul ac roboris afferret, quàm ea, quæ in exhibendis Tragædiis adhiberi quotannis solet, exercitatio. Equidem nôvi rem esse arduam ac difficilem, personam tam solenni in Theatro sustinere. Tamen nisi me fallunt ij, quorum eq-

de meâ qualicumque ad eam rem facultate ferre
 iudicium; ac nisi de me ipso, quid sentiam apud
 parentem amantissimum deponere dubitem; non
 postremas fortè in agendâ personâ etiam prima-
 riâ partes ferre possim. Est mihi non inuenta
 quam laudâsti ipse, corporis conformatio, non
 inelegans incessus, actio satîs liberalis. Acce-
 dunt latera firma, canora vox & distincta, quæ
 capacem aulam impleat. Adjecit, ut fatear quod
 res est, incitamentum non leve illa, quam sibi
 annis posterioribus sodales mei pepererunt, in
 hac palæstrâ nominis commendatio. Incendit
 etiam desiderium, quod audio omnium rumo-
 ribus jactari, Tragœdiam fore hoc anno bellissi-
 mam. Virum nôsti, Pater, qui solennes ludos edi-
 turus est, proh! qualis & quantus! quàm læta
 sub tali magistro uberrimi fructûs spes affulget.
 ô si filio carissimo indultum id velis! ô si hanc
 facias bonus, quam peto, exercitationis copiam!
 nullus ego dubitem, ita me affectum sentio,
 quin me non declamationis modò, sed etiam
 eruditionis donatum Laureâ sis amplexurus. De-
 terrebunt fortè quipiam, quominùs id annuas, &
 difficultatem temporum causabuntur. At quan-
 tula impensa est, hanc si cumulata patris lætitia
 compenset! Hoc providere meum est, Pater,
 ne te pœniteat compotem me votorum effecisse.
 Vale.

RESPONSIO PATRIS.

Lætor ego plurimùm, Fili carissime, qui te
 nactus sim paternarum præceptionum tam
 memorem. Memini sanè commendatum
 tibi à me diligenter, cum te Musarum in discipli-

N 3

nam